



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Lilivm Inter Spinis**

**Sterre, Jean Chrysostome van der**

**Antverpiæ, 1627**

Cap. VI. Miro modo paruuli Ioseph inopiam subleuat Mater misericordiæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43032**

## CAPVT VI.

*Miro modo paruuli IOSEPH inopiam  
subleuat Mater misericordie.*

CVM die quadam, secundum consuetudinē suam, Ecclesiam B. Virginis puer Domini introiisset, & in asperitate brumali nudis incederet pedibus: videns puerum Mater misericordie in tanto frigore corporali, à cordis feruidi deuotione minimè tepuisse; consuetâ sibi misericordiâ mota est. Et aduocans paruulum, statuto coram facie sua ait: Quare in tanto frigore nudis incedis pedibus? Respondit puer: Non habeo calceos. Sciens autem beata Mater, parentes pueri rei familiaris inopiâ laborare, dixit illi: Vade ad lapidem illum, (& lapidem digito demonstrauit) & sub eo quatuor denarios inuenies, quos tolles, & cum eis tibi calceos facies comparari. Credidit puer fidelis, & paruit



paruit iussis: & sicut fuerat demon-  
stratum inueniens, ad altricem suam,  
beatam Matrem, redijt cum denarijs  
latabundus. At illa subiecit: Quoties  
cumque aliquo indigueris; calceis, ta-  
bulis, aut stylis, aut alijs necessarijs; ad  
locum accedes eundem, & inuenies  
denarios, quibus tua necessitas suble-  
uetur. Quis hæc referre, scribere, cre-  
derève præsumeret; si non paucis die-  
bus ante mortem suam, pia calliditate  
inductus à nobis, hæc nobis confessio-  
ne propria prodidisset? Gratias tibi  
Domine I E S V Christe; quòd hæc ex  
confessione beati oris illius me nosce-  
re voluisti. Hac inaudita & tam mira-  
bili veritate constante; quid erit, quod  
de te credi non possit, ô beatissime  
paruulorum? Sed non minùs miran-  
dum reputo, quod subscribo. Non  
diu latuit alios pueros, vbi puer purif-  
simus toties sibi necessaria reperiret,  
& ad locum accedentes eundem, diu-  
que quærentes, nihil talium poterant

*Miro modo  
eius inopiã  
subleuat  
Mater Dei.*



22 . T 2 VITA B. IOSEPH  
inuenire; haud dubium, quòd eos à  
tali solatio magna meritorum distan-  
tia & prærogatiua specialis gratiæ  
separaret.

CAPVT VII.

*Videt Christum in forma Crucifixi.*

**R**EVELAVIT se post hæc puero  
suo, nostro Samueli, ipse Domi-  
nus I E S V S, non in formâ pueri, sed  
in specie Crucifixi. reuelauit autem  
sic: Contigit in ciuitate Coloniâ non-  
nulla domorum mœnia incēdio con-  
flagrare, vbi puer Domini vicinus  
tunc temporis habitabat, Ruentibus  
multis, vt, si possent, sedarent incen-  
dium; vel ( sicut moris est ) saltem in-  
spicerent; beatus puer etiam inter  
alios festinus accurrit. Et ecce, mirum  
in modum in medio incendij Basili-  
ca quædam stabat: quæ licet vndique  
ignibus premeretur, protectione di-  
uina permanfit inusta. Admirantibus  
cun-